



# The Holy See

---

BENEDICTUS XVI  
SERVUS SERVORUM DEI

LITTERAE APOSTOLICAE SUB PLUMBO DATAE

*Venerabili Fratri Nostro Tharsicio S.R.E. Cardinali Bertone, a titulo Sanctae Mariae Auxiliatricis  
in via Tusculana ad titulum suburbicariae  
Sedis Tusculanae translato,  
salutem et Apostolicam Benedictionem\**

Cum pium per obitum Cardinalis Alfonsi López Trujillo, eminentissimi bonae memoriae viri, titulus antiquae suburbicariae Sedis Tusculanae vacet, clarissimas considerantes mentis et cordis tuas dotes, mentem Nostram ad te, convertimus, Venerabilis Frater Noster, qui pastoralia haud parvi ponderis officia laudabiliter explevisti, prius apud Vercellensem dioecesim, deinde apud Archidioecesim Ianuensem, quas diligenter moderatus es; tandem apud Nos et hanc Apostolicam Sedem munus exercuisti Secretarii Congregationis pro Doctrina Fidei, et in praesens pergrave exsequeris officium Secretarii Status, qui sive consilio sive studio tuo pervalidum Nobis praestas auxilium in regimine Catholicae Ecclesiae. Nobis igitur placet te, dimisso titulo Sanctae Mariae Auxiliatricis in via Tusculana, ad Episcoporum Ordinem promovere, suburbicariae Sedis Tusculanae dato titulo, omnibus factis legitimis iuribus atque impositis pariter obligationibus, quae Cardinalium huiusce Ordinis propria esse solent, post ritualement tamen a te captam possessionem.

Dioecesis autem ipsius Tusculanae Episcopum, Canonicorum Collegium necnon clerum atque populum paterne hortamur ut te libentes suscipiant ac iusta reverentia prosequantur. Tibi denique, Venerabilis Frater Noster, peculiari testimonio existimationis et benevolentiae hodie a Nobis honestato, auspice Virgine Maria atque deprecantibus beatis Apostolis Petro et Paulo, ab omnipotenti Deo superna lectissima dona poscimus, quae te sustineant, incolumem servent atque multos per annos laetificent.

*Datum Romae apud S. Petrum, die decimo mensis Maii anno Domini bismillesimo octavo*

*Pontificatus Nostri quarto.*

---

\*A.A.S., vol. C (2008), n. 6, p. 365

© Copyright 2008 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana